

III.

NEOVIDENSIS

Nro 54. (*Neovidensis* Nro 74.)

Secretum litterarum commercium vivos inter ac mortuos.

Epistola ad Joannem Casparum Lippert in campis elysiis degentem.

Ex mundo superiore.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 5. Oct. 1804. (Neov. 21. Sept.)

Nova educandi methodus attollit caput in nostra patria; res litteraria, cui Vestra Excellentia, dum vita supererat, ita magnifice præfuit, novas in dies accipit accessiones, & inter præcipua Civitatis negotia refertur. Artes liberales, & humaniores jaçantur omnium sermonibus; sequimur veluti in torrente novas ideas, ipsa Gallia fecit initium, produxitque philosophicum systema educationis.

Ast quemadmodum in rebus politicis desciscimus a seditiosis consiliis, ita in ratione educationis ad antiqua revertimur principia. Intime Status Consiliarie, si placet, in rem meam adducam ex Gallico libro, qui inscribitur: *Amantis patriae observationes inservientes educationi populi*; perspicuam sententiam: Tan-

dem incipio agnoscere, *sunt verba auctoris*. Philosophiam minime sufficere, ut hominem virtute imbuat; Vera virtus solius religionis est opus, estque omni nationi, omni populo absolute necessaria. Concesserim quidem moralem doctrinam absque religione singulari cuiquam homini esse innoxiam, imo forte etiam posse plurima adferre commoda, at præcepta morum apud nationes, & populos religioni innitantur, oportet.

Has de educatione emendatas Gallorum ideas mihi cum voluptate legenti, atque ruminanti traditus est Germanicus mensis Augusti Mercurius. Ut primum eum aperui, primo obtutu incidi in epistolam ex Bavaria datam, quæ sequentia continet:

Duplicis generis commentarii hoc anno 1804. In Bavaria lucem publicam viderunt: *Aurora*, liber annalis ex Germania meridionali (Auctore Celeberrimo Babo, & Chr. Aretin) opus ut apparet tam libero scriptori, quam Ephemeridibus cultis hominibus destinatis affine; *Item folium coeruleum* (Hoc edit Consiliarius aulicus Kaspar, cujus ingenium superat animi præstantiam). Multa bona jam ex hoc scripto didicimus, at longe pulchriora, meliora, & pretiosiora subministravit *Aurora*. Hæc quidem prodivit in publicum cum eleganti typo, & solido vestimento, non tamen ita plane splendide albo, uti, quæ ipsam præcesserat; Et tametsi in origine sua careat simili varietate, hæc tamen compensabitur futuro pretio: fortunate etiam

accidit, ut habeat, qui eam suo sumtu typis excubendam curet; Doctor, & Bibliopola *Schever* (qui iudicium cum eruditione in eo gradu conjungit, ut consideratis ejus relationibus hoc ab eo vix sperari posset) insignia nobis fragmenta suppeditavit ex suo in Orientem itinere. Inter alia pulchra, & bona, quæ isthoc coeruleum folium produxit, comparent hinc, & illinc quæpiam erronea, immatura, vel plane falsa, v. g. Apologia vitæ monasticæ. (In Bavaria ex hac parte!!) Ubi sequens occurrit argumentum: *Suntne plerique Germaniæ Classici Authores* (est autem generatim sermo de Germania) *in Monasteriis exculti?* Quam rem paulo post Aurora insigniter refutavit, quin directe allusisset ad suam coeruleam sororem, quæ alias albo splendido induta vestitu (aliquantum tamen corporis habitudo est tenuior) incedit.

Sed nec est defectus apud nos parvarum volantium scripturarum, quamvis earum multitudo jam evanuerit. Talis nuper ex parte Oppositionis (pertinent huc opinione plures Civilis, & equestris ordinis viri, & etiam jurium periti) prodiit, & non mediocrem attentionem excitavit: Epistola (si bene meminimus) Diterici Pleningen data ad B. de M. In hac ex ratione Status publici defenduntur Ordines religiosi, & Gubernium, quod eos sustulerit, acerbè vellicatur. Huic rei etiam Ephemerides cultorum hominum materiam suggererunt, ex his enim adducitur nota il-

la contumelia, quæ in Socherum, Veillerum, & me conjecta fuit (attamen nulla mentio illius fortissimæ, gravissimæque declarationis, quam liber Scriptor in contrarium dedit). Hoc convitium nonnullis ex Oppositione tam civilis, quam ecclesiastici status viris magno fuit solatio; *Obscurantismus* exultavit, scriptum cum festinatione, & gaudio per omnes circulos circumlatum est! Pater deformis hujus prolis, ut asseveratur, erat quidam Ratisbonensis Kayser, qui non ita pridem ex scholis Fichterianis ad Schellingianas transfugit. Iste opinione sua Magnus Heros ante breve tempus novum peperit nostris obscuris Authoribus gaudium, quod suis Annalibus Litteraturæ Bavaricæ (quæ alias multa bona, & memoratu digna complectebantur) inseruerit non ignotam Orationem Rectoris Veillier *de libertate religionis, quæ in nostris ludis litterariis traditur*, eumque traduxerit per ora hominum. Non puto dari hominem, qui, etiamsi cum Veilliero idem in omnibus non sentiret, talem tamen recensionem potuisset sine indignatione legere.

Negari nequit (sed possuntne homines omnia humana a se aliena putare?) In Bavaria jam hic, jam ibi aliqua intercessisse, quæ huic oppositioni materiam cogitandi, & loquendi, vel etiam peculiare gaudium suppeditabant. Huc potissimum referendi sunt quidam excessus in Universitate patrati, certi morales defectus hujus, aut illius Professoris, et quæ hinc deducebantur mali exem-

xemp
soph
ris s
tum
char
omn
non
vent
cuj
cen
lam
tiam
cade
min
Glis
ans
erup
sunt
bio
nive
men
len
Hic
tera
stin
dan
offi
a m
prin
inv
tra
die
loc

xempli observationes. Leve quodpiam aut sophisticum verbum, quod prælectioni Doctoris scientiarum (sæpe non intellectæ) immixtum fuisse judicabatur; Tanta vis inest characteri hominis, tanta moralitati! Hæc omnia, si verum, ut decet, fateri volumus, non fecerunt optatam in mores studiosæ juventutis impressionem. Et quo majora alicujus Magistri naturæ dona, quo solidior docendi modus, eo gravius imminet periculum Auditores in suam pertrahendi sententiam. Hac ratione alebatur etiam prisca Academicorum animositas, quæ se sæpius in minoribus cum statu militari jurgiis exeruit. Gliscebatur diu furor, tandem hisce diebus, ansa utique a militibus modo indigno data erupit in actum. Innocentes male habiti sunt, imo nonnulli mutilati! Sine dubio milites (& etiam quidam Superiores coniventes) meritas dabunt pœnas. Laudari meretur quidam Locumtenens superior, dolendum! quod mihi nomen ejus exciderit. Hic opposito pectore defendit studiosum litterarum, ne furoris gregariorum militum victima caderet. Ipsi Professores, qui ad sedandos tumultus accurrerunt, non obstante officioso vestitu, quo induti comparuerunt, a militia, (quæ contra inquietos, adeoque primo loco contra se ipsam exmissa erat, at inverso ordine Academicos invasit) indigne tractati sunt. Atque Rector Magnificus (hodiernus Socher) non sine gravi injuria ad locum primarium excubiarum deductus est!

Factum hoc dignum est, ut omnium Universitatum Annalibus inseratur! At nostros & crudiores, & sublimiores obscurantes singulari affecit gaudio ita, ut ipsa Politia suam voluptatem plene celare nequiverit: Hoc probat magnitudinem animi, & pretium horum hominum! Sed etiam elegantiam suam produxit quidam Academicorum in hac scena, cujus nomini parco. Nimirum Rector Docherius semper majore cum severitate urgebat observantiam legum Academicarum, illisque, qui contra abductionem ad vigilias publicas (si forte diutius in Caupona morati sunt, aut delictum aliquod commiserunt) conquerebantur, respondere solebat: Hæc res non est tanti momenti &c. Huic, dum nulla habita ratione provocationis ad muneris dignitatem traheretur ad excubias primarias, appropinquans studiosus litterarum in Academia, ejusque humeros percutiens insusurravit in aurem: Magnifice Domine, sic fit homini, si ad publicas vigilias deducatur.

Hæc Legio quidem, ut debitas luat pœnas, Landshuto advocata est, manifeste tamen rei in custodia tenentur. Bavarica vehementia, quæ ex hac solida germanica multitudine elucet, si forte innata illi benignitas feritate, & indignatione eliminetur, in hoc spectaculo se totam quantam manifestavit.

Alias quoque litteras reperi in eodem Mercurio, quæ novitate rerum me

percu
tentia
P
des,
legii
motio
munu
tiis r
Gube
gnus
scho
Reve
cum
ne r
pone
erige
go e
bren
add
clar
que
Patri
Cati
Bav
ex
Par
luc
In
gal
fec
ces

perculerunt. Hæc autem est earum sententia :

Huberus, qui generales edit ephemerides, renunciatus est Ulmæ Provincialis Collegii Consiliarius, ita tamen, (sic sonat promotionis Decretum) ut per hoc publicum munus in promovenda re literaria, & scientiis nulla ratione impediatur. An non est iste Gubernii nostri actus sempiterna gloria dignus? Huberus nunc se totum tradit negotio scholarum, quo in genere adiutorem habet Reverendissimum Mastiaux (olim Canonicum Augustæ Vindelicorum). Hac occasione mirabilis res detecta est. Huberus proponebatur pro Assessore, & membro neo erigendi Consistorii Protestantium. A longo enim tempore nemo ambigebat hunc celebrem virum Religioni Protestantium esse addictum. At, stupuere omnes, dum declaravit se Catholicorum sacra sequi, esse que ex Bavaria oriundum; seu dicebat se Patre Bavaro natum vivere in communione Catholicorum. (Hac ratione ergo Bavarus Baviaræ restitutus est). Videlicet Pater ejus ex quodam Bavarico Monasterio transivit Parisios; — Hic noster celebratus Scriptor in lucem editus est. — Parisiis venit Lipsiâ; In Universitate multis annis docuit linguam gallicam, varia erudita opera publici juris fecit, & sic non inglorius ex hac vita decessit.

Intime Status Consiliarie! In hunc mo-

dum circumdant educationem liberalitas, & Humanitas. His commendatus maneo.

B i o g r a p h i a.

Lippert (Joannes, Casparus, Nobilis) Electoris Bavariae intimus Status Consiliarius Monachii, natus A. 1728 23. Septembris in Bavaria inferiore. Primum fungebatur munere Regiminis consiliarii, egit Praefectum bibliothecae, custodem tabularii, Consiliarium Censurae. Ab anno 1791 erat una a secretis ordinis Leonini. Demum A. 1792 actualis intimus Cabineti secretarius, intimus conferentiarum consiliarius, intimus in rebus ecclesiasticis referendarius, & Curator Rei litterariae in Bavaria; Anno denique 1799 quo Elector Maximilianus Josephus regnare coepit, ab omnibus suis officiis dimissionem obtinuit, & pensione 1000 florenorum cum titulo intimi Status Consiliarii fuit donatus. A. 1800 9. Aprilis apoplexia tactus vivere desiit. Illi in acceptis referimus editionem praecelari historici operis: *Marci Velseri rerum Boicarum libri V, una cum libro VI. adhuc inedito.* Aug. 1777. 8.

** Es sind complete Mess-Instrumente, von Vogtländer verfertigt, ganz gut und brauchbar, um einen billigen Preis zu verlassen; sie sind in einen Kasten bequem zum Reisen eingepackt. Das Nähere können Liebhaber bei dem Hrn. Regim. Adjutanten vom E. H. Ferdinandischen Infanterieregim. erfragen.
